



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum I. Decretalium, Per quadraginta, & tres Titulos distributum, in
quo agitur De Constitutionibus, Seu Legibus universim ...

Krimer, Ferdinand

Augustæ Vindelicorum, 1706

Quæstio I. In Tit. I. De Summa Trinitate, & Fide Catholica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73031)



TRACTATUS IN LIBRUM PRIMUM DECRETALIUM.

Liber primus Decretalium. 43. Titulis comprehensus, præmissis Juris Canonici principijs, potissimum agit De ordinibus, gradibus, Jurisdictione, & officijs Magistratum, qui rebus, & gubernationi Ecclesiasticæ præsent, ad extremum subjungens quædam, quæ circa personas, & res litigantium, versantur non tantum civiles, sed etiam criminales. Et hæc est materia Tractatus nostri, cui rectè tradendò præmitteremus prolegomena Juris, exposituri reliqua secundum ordinem titulorum.

QUÆSTIO I.

In Tit. I. De Summa Trinitate, & Fide Catholica.

Sicut Imperator Justinianus suum Codicem; ita Summus Pontifex Gregorius. IX. Jus Canonicum auspiciatur à summa Trinitate, & Fide Catholica; tum quia Deus Trinus & Unus, est fons, unde omnis lex participatur; tum quia fides Catholica est fundamentum, cui innititur Ecclesia, & universum jus Ecclesiasticum, & humanum. Quoniam verò de Summa Dei simplicitate, ac unitate in natura, cum Trinitate in personis, expresso agunt Theologi cum D. Thoma 1. parte & cum eodem in tract. de fide; non mittimus falcem nostram in messem alienam, contenti hoc loco exponere, quæ pauculis hujus tituli capitulis statuuntur.

ARTICULUS I.

De doctrina Fidei Catholica.

Hæc traditur in c. *Firmiter*, quod est primum in hoc titulo *de summa Trinitate*, ubi exponuntur articuli Fidei Catholicæ, qui credendi sunt circa SS.
Tom. I.

Trinitatem, & reliqua ejusdem fidei mysteria. Omissis porro reliquis, ea solum attingemus, quæ tangit Glossa in hunc titulum. quare *not. 1. cit. c. Firmiter* definiti tanquam articulum fidei Catholicæ. 1. quod *unus solus sit verus Deus, Pater, & Filius, & spiritus S. tres quidem persona, sed una essentia, substantia, seu natura, simplex omnino.*

Circa quod *not. 1.* per hunc textum significari, divinarum personarum *unitatem in natura, substantia, seu essentia*, non esse merè similitudinariam, qualiter multi homines dicuntur *unus* populus unitate solius convenientiæ, aut congregationis; sed unitatem *veræ identitatis*, ut constat amplius ex c. *damnamus*, quod est secundum, & finale h. t. ubi definitum est, quod unitas trium Personarum in divinis, non sit unitas solum *impropria*, nimirum *merè collectiva & similitudinaria*; qualiter multi homines dicuntur *unus* populus; & multi fideles, *una* Ecclesia; sed vera, & propriè dicta, quæ scilicet *tres simul Persona, ac qualibet earum,*

A

est

est illa summa res, videlicet substantia, essentia, seu natura divina. Quod pluribus confirmans ait, quod, licet Filius nascendo substantiam Patris acceperit, tamen Pater, & Filius, habeant eandem substantiam, atque adeo, eadem res sit Pater, & Filius, nec non spiritus S. ab utroque procedens; ubi expresse subiungit: quod hoc nomen unum ibi, cum dicitur: volo, ut ipsi sint unum in nobis. sicut, & nos unum sumus, pro fidelibus quidem accipiatur, ut intelligatur unio charitatis in gratia: pro personis verò divinis, ut attendatur unitas identitatis in natura.

3 Hinc colliges. 1. esse secundum fidem Catholicam, cum hac trium Personarum unitate in substantia, stare pluralitatem Personarum, vi cuius sint quidem plures Personæ; non autem plures substantiæ, essentia, seu natura. Colliges. 2. Deum in Personis trinum, esse unam essentiam, substantiam, seu naturam, simplicem omnino, ut patet ex textu supr. ubi notat gloss. in cit. c. Firmiter. V. simplex omnino, significari, quod Deus, in se nullo sensu admittat compositionem. Compositio enim (ait gloss. cit.) proprie est, vel partitæ ad partes, ut in rebus corporalibus; vel proprietatis ad subjectum, ut est calor in igne; vel formæ ad substantiam, aut substantiæ ad formam; & nulla istarum compositionum cadit in Deum; & ideo dicitur simplex omnino; nimirum nullo sensu compositus. Et ideo in Deo nemine cogitante admitti non potest compositio ex partibus integralibus; vel ex subjecto & forma substantiali; vel ex substantia & accidente; vel ex natura & suppositalitate; vel ex essentia, & proprietate; nam sic non verificaretur, quod sit simplex omnino, nimirum expers omnis compositionis, nemine cogitante. An autem in Deo admitti possit compositio purè metaphysica ex genere & differentia, vel ex natura & proprietatibus solum logicè consideratis? apud Theologos agitur; & olim in tract. de Deo cum Izaquierdo de Deo uno. D. 11. n. 50. diximus, si prædicata Dei sumantur ut conjuncta cum alio proprio Dei seu ut divina, Deum non esse ens metaphysicè compositum ex genere & differentia; secus, si sumantur absolute, ubi etiam responsum est ad contrarium.

Not. 2. in eodè c. Firmiter secundò definiri, ut articulum fidei Catholicæ, quod in Divinis Pater sit à nullo; filius à Patre solo; & spiritus S. ab utroque; quod Pater sit generans, filius nascens, & spiritus S. procedens, consubstantiales, coæquales, coomnipotentes, & coeterni, & unum universorum principium. Circa quod observat ibid. Gloss. V. Coeterni, posse moveri, quod in Symbolo Athanasij dicitur: tamen non tres Omnipotentes, sed unus omnipotens; non tres aeterni sed unus aeternus, aitque, solvi dicendo, quod in c. Firmiter illæ dictiones, ponantur adiectivè, & designent Personas; in symbolo autem substantivè & designent essentiam, quo sensus sit: sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales, termino numerali cadente super personas, seu subiectum; non autem prædicatum. Et ideo alii notant, terminum numeralem duo, tres, non verificari, si appellat Omnipotentiam, aeternitatem, & reliqua Dei prædicata absoluta; eò quod (ut concreta substantiva recipiant terminum numeralem, duo, tres, substantivè, nimirum ex æquo, significata) petant, ac requirant pluralitatem recti & obliqui; quod non evenit cum de Deo, vel etiam personis dicuntur prædicata aeternus, immensus, omnipotens &c. secus, cum ratio persona dicitur de Patre, Filio & spiritu S. sunt enim tres, habentes suas personalitates distinctas; de quo plura dixi in tract. de incarn. q. 5. à. n. 265.

Ex hoc rectè dicitur, tres personæ sunt unus aeternus, unus omnipotens; non autem tres aeterni, tres omnipotentes. Nam concretum persona importat & tres habentes, & tres personalitates habitas; concretum autem aeternus dictum de Deo, nec habet pluralitatem recti, nec obliqui: dictum autem de personis, nimirum Patre, filio, & spiritu S. esto significet pluralitatem recti, aeternitas tamen una est; & ideo tres aeterni verum non est; quia, licet sint tres personæ habentes aeternitatem, aeternitas tamen habita simplex est, non multiplex; loquendò de aeternitate communi, & absoluta.

Deinde notandum ex eodè textu, tres personæ in Divinis dici consubstantiales, hoc est, quamlibet habere unam, eandemque naturam, essentiam ac substan-

tiam, sic, ut Pater nihil habeat *essentialiter*, & *substantialiter*, quod non habeat Filius; nihil Pater & Filius, quod non habeat spiritus S. pariter *essentialiter* & *substantialiter*; cum quo stat, quod quævis persona *notionaliter* (nimirum in eo, quo relativè opponitur alteri) habeat aliquid, quod *notionaliter* non habet altera. Hinc sequitur *consubstantialitati duorum* non obstat; quod unum non habeat idem *omni eo modo*, quo alterum; modo habeat prædicatum relativè oppositum illi, quod habet alterum, & ipsum caret; sic Filius est in Divinis Patri *consustantialis*, licet non habeat *notionaliter vim gignendi*, seu generationem activam, quam habet Pater; quia habet *notionaliter* generationem passivam activæ oppositam relativè: econtra non posse dici *consustantiales*, quorum *unus nec* habet *notionaliter* prædicatum, quod eo modo habet alter, nec aliud ei relativè oppositum oppositione producentis & producti, vel immediatè, vel mediatè. Nam in hoc propriè sita est *consustantialitas*; quæ utique non esset inter Patrem, & Filium in divinis, si Filius nec *spiraret spiritum Sanctum* (ut ponit hypothesi Græcorum) nec etiam esset *spiritus*, ut patet rē legitimè consideranti. Et quamvis spiritus S. nec generationem activam, nec passivam *notionaliter* habeat; adhuc tamen *consustantialis* est Patri & Filio; quia cum *notionaliter* habeat spirationem passivam; & hæc relativè opponatur spirationi activæ, quæ supponit utramque generationem (nam, ordine saltem, vel subsistendi consequentiâ, *gignere* & *gigni*, seu *esse Patrem* & *Filium* prius est quam *spirare*) spiratione activâ mediante adhuc relativè opponitur utrique, consequenter manet *consustantialis* utrique.

6 Not. 3. in cit. c. *Firmiter* definiti. 3. quod hæc SS. Trinitas secundum *essentialitatem* sit *individua*, & secundum *personales proprietates* discreta; quod *unigenitus Dei Filius à tota Trinitate communiter sit incarnatus*, ex Maria semper Virgine, *Spiritus S. cooperatione conceptus*, *verus homo factus*, ex anima rationali, & *humana carne compositus*: una in *duabus naturis persona*. Et ulterius, 1. quod licet illa *summa res* sit veraciter Pater, Filius, & Spiritus S. *tres simul per-*

Tom. I.

sonæ, ac *singillatim qualibet earundem*: non tamen in Deo sit *quaternitas*; sed solummodò Trinitas ex hoc ipso, quia *qualibet trium personarum est illa res*, videlicet *substantia*, *essentia*, seu *natura divina*. 2. Quod, licet illa res sit veraciter Pater, Filius, & Spiritus S. non propterea tamen sit *generans*, *genita*, vel *procedens*; sed, sit Pater, qui generat; & Filius qui gignitur; & Spiritus S. qui procedit; ut *distinctio sit in personis*; & *unitas in natura*; & licet alius sit Pater; alius Filius; alius Spiritus S. non tamen aliud: sed id, quod est Pater, sit Filius; & Spiritus S. idem omnino. 3. Quod, licet Pater ab aeterno Filium generandò suam substantiam ei dederit, tamen nec dici possit quod *partem suæ substantiæ* illi dederit; & *partem* ipse sibi retinuerit; cum substantia Patris *indivisibilis sit*, utpote *simplex omnino*: nec quod Pater in Filium *translulerit* suam substantiam generandò, quasi sic dederit eam Filio, quod non retinuerit eam sibi: alioquin defuisset esse substantia. Ex quo sic concludit: *patet ergo*, quod sine ulla diminutione Filius nascendò substantiam Patris accepit: & ita Pater, & Filius *habent eandem substantiam*: & sic *eadem res* est Pater, & Filius, & Spiritus S., *ab utroque procedens*.

Ex his colliges 1. esse de fide, eandem numero substantiam, essentiam, seu naturam per veram identitatem realem esse non tantum in omnibus tribus Divinis Personis *simul sumptis*, sed etiam *in qualibet earum*, ut constat ex dictis precedentiibus textu; & n. 2. Colliges 2. quod in Deo *eadem res*, substantia, natura, seu essentia, sit veraciter Pater, Filius, & Spiritus S. consequenter, quod tres Personæ, & *qualibet earum* sit illa res, substantia, seu natura. Colliges 3. Quod in Deo non sit *quaternitas*, sic, ut illa res, substantia, essentia, seu natura, relativè ad tres Personas, superaddat aliquam novam unitatem, quæ cum tribus illis constituat numerum quaternarium; quia qualibet trium personarum est illa res, substantia, essentia, seu natura, ex num. præced. Colliges 4. Juxta doctrinam Catholicæ fidei hanc propositionem affirmativam: *illa res est generans, genita, vel procedens*, & istam negativam: *illa*

A 2

res

res non est Pater, qui generat; Filius, qui gignitur: Spiritus S. qui procedit, simpliciter & sine addito prolatam, esse certò falsam; quia cujuslibet contradictoria ex doctrina fidei Catholicæ est certò vera ex n. præced. Colliges 5. Quòd, licet Pater, Filius, & Spiritus S. sint eadem numero substantia, essentia, seu natura, non tamen sint eadem numero persona; cum in c. *Damnamus*. cit. (ut habetur n. 6.) expressè dicatur, quòd tres Divina Persona sic sint idem omnino in substantia, essentia, seu natura, ut alicuius unius ab alia, seu distinctio, solum sit in personis. Colliges 6. Esse de fide tres Divinas Personas habere identitatem inter se, mixtam distinctionem; & distinctionem mixtam identitate, ut manifestum sit ex textibus allatis; identitatem in substantia, essentia, seu natura, distinctionem in personis. Colliges 7. quòd Pater generandò filium, ei communicaverit totam suam substantiam, adeoque omne id, quod est in Deo substantia, essentia, seu natura; constat ex n. præced. si enim aliquid, quod est substantia, non communicasset filio, eum generandò, non verificaretur, quòd ei dederit totam suam substantiam, sed quòd dederit ei aliquid, sed non omne, quod est substantia, contra definitionem c. *Damnamus* loc. cit. hæc de doctrina fidei ex c. *Firmiter*, & c. *Damnamus*, in quantù spectat Mysterium SS. Trinitatis.

8 Cùm igitur certum sit ex fide tres Personas in Divinis habere inter se identitatem in substantia, mixtam distinctionem in personis, quæri potest, quo nomine compellenda sit ea identitas, & distinctio? in quo utique conveniendum est prius, volentibus disputare de re. In hac re varij sunt Theologorum sensus, quorum proprium est agere de hoc mysterio, contra eos, qui ex ijs, quæ de natura, & divinis Personis à CC. & SS. PP. veraciter affirmantur, credunt inferri quandam contradictionem necessariò salvandam admittendò, inter naturam, & personas, saltem singulas, aliam distinctionem, præter eam, quam fides docet, qualem esse volunt aliqui formalem ex natura rei; alij virtuales intrinsecam; alij distinctionem in tertio. Illud hic notandum illam identitatem trium personarum, & cujuslibet earum cum substantia, essentia,

seu natura Divina, ab Innocent. III. vocari identitatem substantialem, & distinctionem in personis, relativam. Sic enim loquitur in epistola ad Episcopos in cruce signatorum exercitu Constantinopoli degentes, apud Odoricum Raynaldum in continuatione annalium ad annum 1204. folio 109. n. 22. dicens: inter omnes tres personas est relativa distinctio in personis, sicut est inter omnes substantialis identitas in natura. Alij identitatem illam nominant essentialem, & distinctionem personalem; de quo ex professo olim egimus in tract. de Deo q. 1. de simplicitate Dei.

ARTICULUS II.

De damnatis varijs erroribus contra fidem Catholicam.

PRæmittendum, quòd cùm Petrus 9 Lombardus, agens de unitate essentia, & personarum Trinitate in divinis, docuisset, quòd licet in Deo sit quadam summa res, quæ veraciter est Pater, qui generat; Filius qui gignitur; & Spiritus S. qui procedit, tamen illa summa res nec sit generans, nec genita, nec procedens; Joachimus Abbas Monasterij Florentis, scripserit libellum contra dictam Lombardi doctrinam, in quo eum appellat hæreticum, & infanum pro eo, quòd in suis dixit sententijs: quoniam quadam summa res est Pater, & Filius, & Spiritus S. & illa res non est generans, neque genita, neque procedens. Rationem dabat Joachimus, quòd ille hoc modò non tam Trinitatem, quàm quaternitatem adstrueret in Deo, videlicet tres Personas & illam communem essentiam, quasi quartam; manifestè protestans (nimirum Joachimus) quòd nulla res est, quæ sit Pater, Filius, & Spiritus S. in vera unitate identitatis in eadem numero substantia, essentia, seu natura; sed tantum in unitate similitudinis, & collectionis, qualiter multi homines, sunt unus populus; multi fideles una Ecclesia. &c.

Hæc Joachimi doctrinâ, seu potius errore, delato ad Concilium Generale, sub Innocentio III. approbata est doctrina Lombardi, & damnatus error Joachimi, profitente sacro Concilio, quòd tres Personæ in Deo vera unitate identitatis, non meræ similitudinis aut collectionis, sint

una substantia, essentia, seu natura; *que substantia non sit generans, nec genita, nec procedens* quia illi actus, non attribuuntur *substantia*, sed *Personis*; nec per hoc concludi *quaternitatem*, quia cum quælibet trium Personarum sit illa summa res, substantia, essentia, seu natura, inde nequit relatè ad illas esse aliquid quartum; & contrarium sentientes, ut hæreticos esse censendos, nisi ab errore respiciant, & correctioni Apostolicæ Sedis se supponant. Sic Rubr. in cit. c. *Damnamus*. Ex occasione hujus erroris, à sacro Concilio condemnati plura colligi possunt. 1. Responsum Concilij ad fundamenta Joachimi, nimirum non obstante doctrinâ M. Lombardi, nullatenus sequi *quaternitatem* in Deo; ejus ratio à Concilio data constat ex dictis. Impossibile enim est, quòd illa res constituat *quaternitatem* cum tribus, quando quodlibet eorum, est illa ipsa res, & illa ipsa res est unum ex illis, imò quodlibet eorum. Hinc nota 1. in cit. c. *Damnamus* damnari ut hæreticam prædictam *doctrinam* Joachimi, non ipsum Joachimum; quia protestatus est se omnia subicere judicio Ecclesiæ, cum animo parato, illi obtemperandi; sic Barbof. in cit. c. *Damnamus*, à n. 2. Et ratio est, quia hoc ipso non adhæsit *pertinaciter* errori suo. Unde erranti in fide, non imputatur error, si ex simplicitate deficiat, & fidem suam supponat fidei Ecclesiæ; sic Fagnanus in c. *Firmiter*. n. 20. & Scriptores librorum, in principio, vel sine ad dentes protestationem, quòd suam doctrinam subiciant judicio Ecclesiæ, eximuntur à nota hæresis, licet errorem contineant; sic Zabarella in Clement. 1. c. *porro*. de Summa Trinitate, n. 5. Ex quo vides, licet damnato Authore, hoc ipso damnentur omnes ejus libri, sive boni sive mali; nò tamen e contra; ita Sanchez in *Decalog.* l. 2. c. 10. n. 28. Farinacius in *tract. de hæretic.* q. 180. n. 3, quòd tamen sic intellige, ut, esto boni sint, non valeant allegari, quantum ad hoc, ut pro jure habeantur, quasi auctoritatem in se contineant, licet aliquando adduci possint tanquam rationabiles, ut notat Fagnan. cit. in c. *Damnamus* n. 18. Barbof. *ibid.* n. 10. Unde ulterius deducitur, quòd delictum Prælati; etiam circa fidem, capitulo in illud non consentienti, non nocet; quia deli-

ctum personæ non debet in Ecclesiæ detrimentum redundare; per Reg. 46. de *reg. jur. in 6.* & constat expressè ex cit. c. *Damnamus*.

Alterum responsum ad probationem 11 Joachimi, quâ in divinis voluit Personas esse *unum*, sicut multi homines sunt *unus* populus; & multi fideles *una* Ecclesia, eò, quòd Christus, loquens de Fidelibus, dixerit: *Volo Pater, ut sint unum in nobis, sicut & nos unum sumus.* &c.) à Concilio datum fuit dicendo: illum textum quoad fideles, intelligi *de unitate charitatis in gratia*, sicut accipitur iste. *estote perfecti* (nimirum perfectione gratiæ) *sicut Pater vester cælestis perfectus est*, perfectione naturæ; quia inter Creatorem, & creaturam, non potest tanta similitudo notari, quin inter eos major dissimilitudo sit notanda.

Ad præcipuam verò dubitationem Joachimi, natam ex eo, quomodo *eadem numero res possit esse Pater, Filius, & Spiritus S. & tamen non esse generans, nec genita, nec procedens; cum tamen Pater sit generans Filius sit genitus, Spiritus S. sit procedens?* (ex hoc enim inferebat, quòd vel nequeat admitti, quòd ea summa res sit Pater, Filius, & Spiritus S. sed aliquid quartum; vel non sit in tribus Personis una unitate identitatis, sed solum similitudinis, vel collectionis) respondit concilium, etiam stante unitate identitatis trium Personarum in eadem numero substantia, essentia, seu natura, rectè ac sine repugnantia verificari, quòd ea res *non sit generans &c.* Sed solum, *quòd sit Pater, qui generat*; per hoc apertè innuens: in hoc (*natura non est generans*) aliud negari prædicatum de natura, quam affirmetur de Patre, cum dicitur: *Pater est generans.*

Hujus ulteriorem expositionem dat 13 Gloss. in c. *Damnamus*. V. *neque genita*, dicens: notandum. 1. in divinis esse quædam nomina *essentialia*, quædam *personalia*, quædam *notionalia*: essentialia esse, dicit, quæ in singulari numero dicuntur congruè de tribus personis singillatim, ut *Deus bonus*, *Deus justus*, *Deus æternus*; non autem in plurali, juxta symbolū Athanasij: ibi non *tres Dij*: sed *unus Deus*; non *tres æterni*, sed *unus æternus &c.* Personalia vocat, quæ supponunt personam,

& dicuntur in singulari numero tantum, ut *Pater*, & *Filius*, & *Spiritus Sanctus*; notionalia, quæ notant distinctionem in Personis; ut *generans*, *generata*, & *procedens*; ad hanc observationem Glossæ Joannes Andreas in margine lit. B, notat. 1. hæc prædicta notionalia sic esse appellata, quia personas notificant, aliquando distinctione, quia eas distinguunt; quandoque relatione, quia personas ad invicem referunt; quandoque proprietatibus, quia propriè personis insunt. notat. 2. quando ista nomina notionalia dicuntur adjectivè, verificari tantum de personis, non de essentia; si autem substantivè, verificari tam de essentia, quam personis. Ex quo infert hanc propositionem (*Pater est generans*) esse simpliciter veram, sive dictio generans dicatur adjectivè sive substantivè: si autem dicatur: (*substantia divina est generans*, falsam esse, si dictio generans sumatur adjectivè; non verò si substantivè. Ratione dat, quòd si prædicatum generans dicatur adjectivè de natura, seu substantia, denotet distinctionem in natura, seu substantia, & sensum faciat, quòd natura divina sit *natura generans*, seu quòd natura divina sit ratio applicandi subjecto significationem illius prædicati, quòd significat oppositionem relativam, & distinctionem; quòd falsum est; si autem dicatur substantivè, faciat sensum, quòd natura divina sit persona generans, quòd est verum; sic Gloss. cit.

34 Brevius dici potest, ly *generans* verificari æquè de natura divina, si servet eandem appellationem, quam habet dictum de Patre; nam in hac (*Pater est generans*) idem est vi prædicati appellantis supra subjectum, ac si dicas (*Pater, est Pater generans*) omne enim adjectivum, dictum de aliquo subjecto, illud ipsum repetit in recto. verissimum autem est, *natura, est Pater generans*; non autem, *natura, est generans*; sic enim idem est, ac, *natura, est natura generans*; certum autem est, nihil esse in Deo, quòd sit *natura generans*, sicut nihil est, quòd sit *natura distinguens*, vel *distincta*; aut *natura relativè opposita*; et si verissimum sit, in Deo, *naturam esse Patrem distinctum, ac relativè oppositum Filio*; quia reverà ratio *Patris*, est origo oppositionis, & distinctionis; non autem ratio substantiæ, es-

sentia, seu naturæ, quæ nõ tantum importat prædicata essentialia, sed etiam personalia, & notionalia; quòd non est in alijs carentibus identitate mixtâ per distinctionem. Et ideo complures docent, has propositiones: *Pater est generans*; *natura non est generans*, etiam simpliciter prolatas, veras esse sine omni contradictione formali; 1. quia non affirmatur, & negatur idem sub eadem terminorum appellatione; quòd requiritur ad contradictionem formalem; nam ly *generans*, in negativa non servat eandem appellationem, quam habet in affirmativa, ut ostensum est.

15 Secundo. In illis duabus propositionibus non est idem prædicatum. Nam ly *generans* in hac affirmativa *Pater est generans* (quæ secundum fidem est necessariò vera) importat *generationem necessariam subjecto*; in hac negativa *natura non est generans* (quæ secundum fidem simpliciter prolata etiam est necessariò vera; cum hæc *natura est generans* secundum fidem sit necessariò falsa) importat *generationem repugnantem subjecto*; Cujus ratio est, quia quando ex duabus formaliter contradictorijs affirmativa est necessariò vera, prædicatum est necessariò subjecto, ut in hac: *homo est animal*; si autem est necessariò falsa, prædicatum est repugnans subjecto, ut in hac: *homo est lapis*. cum ergo ex his: *Pater est generans*; *Pater non est generans*; affirmativa sit necessariò vera, ly *generans* in utraque significat *generationem necessariam subjecto*; & cum in his: *natura est generans*; *natura non est generans*, affirmativa sit necessariò falsa, (negativa enim secundum fidem est necessariò vera) ly *generans* in utraque significat *generationem repugnantem subjecto*: at generatio *necessaria & repugnans subjecto*, non est eadem; ergo.

16 Tertiò. Quia in formali contradictione debet utriusque propositionis subjectum esse idem identitate purâ, nimirum non mixta distinctione: at in his: *Pater est generans*, *natura non est generans*, *Pater*, & *natura* (quæ sunt subjectum) non habent identitatem puram, sed mixtam, ut docent plurimi; qui admittunt internaturam & Patrem vel distinctionem formalem ex natura rei; vel virtuales intrinsecam; vel realem in tertio; vel re-

ctius

ctius personalem: cum natura verissimè non minùs sit persona realiter distincta à Patre, quàm sit persona eidem relativiè opposita (est enim veraciter Filius ex dictis sup.) ergo; sed de hoc ex professione Theologi.

17 Alterum quod damnatur in cit. c. *Dammamus*, continet errores Almarici, ut constat ex illis verbis: *reprobamus etiam, & condemnamus*, perverissimum dogma Almarici, cujus mentem sic Pater mendacij excæcavit, ut ejus doctrina non tam hæretica censenda sit, quàm insana. Circa quod not. 1. Almaricum fuisse natione Gallum, patriâ Carnotensem, Lutetia Parisiorum impietatis Doctorem, ut notat Fagnanus in cit. c. *Dammamus* n. 28. Not. 2. Inter vesanos ejus errores recenseri præcipuos, qui sequuntur. 1. quòd Corpus Christi non aliter sit in pane altaris, quàm in alio pane & in quâlibet aliâ re, transubstantiatione denegatâ. 2. Deum sic locutum fuisse in *Ovidio*, sicut in Augustino. 3. Negabat resurrectionem corporum, paradysum, & infernum; dicebat enim, qui in se Dei cognitionem haberet, illum habere in se quoque paradysum; qui contra peccatum mortale haberet, eundem habere in se infernum, non aliter quàm dentem putridum in ore. 4. Altaria Sanctis dicata, & imagines thurificare Sanctorumque invocationes, idololatriam esse. 5. Non solum cum Armenis, Adam, & Evam nunquam carnali copulâ jungendos fuisse, si permansissent in statu illo, in quo Deus illos creavit; verum etiam sexuum differentiam iululam, sed hominum multiplicationem æquè, ac Angelorum futuram. 6. Deum non videri in se, sed in creaturis, sicut lumen in aere. 7. Illud (quòd aliàs est peccatum mortale) factum in charitate, non esse peccatum, promittendò simul impunitatem peccatorum. 8. Ideas, quæ sunt in mente divina, & creare & creati posse; cum tamen secundùm Augustinum in mente divina nihil sit, nisi æternum, & incommutabile. 9. Somniabat mentem contemplativi, seu Beati perdere suum esse in proprio genere; & redire in illud esse ideale, quòd habuit in mente Divina. 10. Asserebat, omnes creaturas in fine in Deum redire, & in ipsum converti, ut sint unum individu-

um cum ipso; hinc negabat, in resurrectione duplicem fore sexum: sic Fagnanus cit. referens plures qui de Almarici tam gravibus erroribus scripserunt; demum addens Almaricum de his, & pluribus alijs vesanis erroribus, unâ cum complicibus, ab Episcoporum, & Theologorum Parisiensium Concilio convictum, ex mœrore animi interiisse, ejusque cadaver jussu Philippi Gallorum Regis, postea exhumatum, & flammis exustum esse Anno Domini 1208.

Omnes igitur errores isti damnati sunt à Concilio Lateranensi secundo, quòd ea potissimum de causa fuit ab Innocentio III. celebratum; qua occasione notandum, ubi in Sacris Canonibus simpliciter sit mentio de Concilio generali, hoc semper denotari, etiamsi nomen Pontificis non exprimatur, ut notat Fagnanus in cit. c. *Firmiter* n. 1. cujus rationem ibidem fusè tradit.

Præter errores prædictos notantur alij 18 sub hoc titulo in sexto, & Clementinis. Primus est in c. *Unico*, de Summa Trinitate in 6. ubi Gregorius X. cum Concilio generali Lugdunensi sic loquitur: *Nos hoc sacro approbante Concilio, damnamus, & reprobamus omnes, qui negare presumpserint, aternaliter Spiritum S. ex Patre & Filio procedere; sive etiam temerario ausu asserere, quòd Spiritus S. ex Patre & Filio, tanquam ex duobus principis, & non tanquam ex uno procedat.*

Circa quòd not. 1. olim fuisse errorem Græcorum, qui dicebant Spiritum sanctum procedere à solo Patre, ut notat Gloss. in cit. c. *Unico*, V. *Fideli*: sed hic error extirpatus est per c. *penult.* ibi: *unde ab illo, (nimirum Dei Filio) sicut à Patre procedit. & c. ult. dist. 5. de Consecrat.* ibi: *cum hoc ipsum sit, quòd profertur à Filio, id est, procedens à veritate, &c.*

Not. 2. Alios negasse Spiritum S. procedere aternaliter à Patre & Filio; alios, quòd procedat ab utroq; tanquàm uno principio, per unâ spirationem; alios denique diversos alios errores docuisse, ac tenuisse circa Spiritum S. de quibus videri potest c. *penult.* 24. q. 2. ut notat Gloss. margin. cit. V. *Fideli*. Porro hi omnes errores in dicto c. *unico*, Sacro approbante Concilio, damnati sunt, & definitum, ut dicitur in Rubrica dicti c. *Unici*: *Spiritum S.*

etc.

æternaliter à Patre, & Filio, tanquam ab uno principio, & unica spiratione procedere; consequenter doctrinam, huic oppositam, esse certò falsam, & contra veram fidem.

20 Not. 3. Fundamenta Græcorum, quibus ducebantur ad dicendum Spiritum S. procedere à solo patre, fuisse. 1. ex illo Joann. 16. *Spiritus Sanctus, qui à patre procedit*; item, quia in symbolo, apud eos edito, simpliciter continetur: *qui ex Patre procedit*: demum ex L. 2. C. de summa Trinit. ubi dicitur *Spiritum Sanctum, quem ex summo rerum Parente speramus*. Verùm (ut rectè notat. Gloss. in. cit. Clement. *Fideli* & V. *Filio* expressio Patris, non excludit Filium; sed potiùs includit; hujus ratio est; quia ipsorum opera inseparabilia sunt ex c. *sic enim*. 2. *Beator*, 28. q. 1. & c. *fin. dist. 3. de consecrat.* Rationem autem ulteriorem dant Theologi. 1. *quia submotà à Filio, Spiratione activà, tollitur inter eum, & Spiritum S. oppositio relativa producentis & producti, quâ unâ juxta Conc. Florent. sess. 18. V. Dico equidem, in Divinis una Persona differt ab alia; 2. consubstantialitas inter Patrem & Filium, quam Græci concedebant; vel Filius esse spiratus seu spiritus, quod negabant; ut breviter insinuatum est supr. 3. quia sic Spiritus Sanctus non esset passivus amor Patris & Filij mutuo sui amore spirantis Spiritum, amore fecundo, ut diximus alibi.*

21 Demum in Clement. *Fidei Catholice* habetur, fateri Concilium Viennense (quod

habitum est sub Clemente V.) Unicū Dei Filium, in essentia Dei æternaliter subsistentem, verum corpus assumpsisse de Virgine, & in eo passum, etiam mortuum, lanceâ perforatum, approbando in hoc ordinem quem tradidit S. Joannes. & ibidem in §. *Porrò*, reprobat, & hæreticam judicat doctrinam, quæ habet, quod substantia animæ rationalis, seu intellectivæ verè & per se humani corporis non sit forma. Ubi not. 1. quòd textus eum condemnet *ut hæreticum*, qui vel temerè asserit animam rationalem non esse verè formam corporis humani, vel qui, *an sit?* vertit *in dubium*, ut constat ex verbis ibi. *temerè asserentem, aut vertentem in dubium*. not. 2. secundum Gloss. ibid. V. *temerè* per hunc terminum idem importari, ac *presumptuosè, stultè, sine causa, sine consilio & ly dubium*, ibidem accipi, *de dubio hæretico* nimirum cum pertinacia; sic Gloss. V. *in dubium*. Not. 3. ex hoc quòd in isto textu expressè mentio solùm fiat animæ rationalis; non inferri legitimè, quòd anima sensitiva, & vegetativa non sit verè, ac propriè forma corporis: non enim omisum fuit ideo, quòd contrarium, vel oppositum, de hac senti retur: sed quia de sensitiva & vegetativa non fuit opinio contraria sicut de rationali, seu intellectiva, de quo videri potest Gloss. ibid. V. *Intellectiva*. Nam decisio quæstionis dubiæ referenda est ad expressà in dubitatione, & data ad eam resolutione.

QUÆSTIO II.

In Tit. II. De Constitutionibus.

22 **C**onstitutio generaliter, & latè sumpta supponit pro qualibet lege, vel jure humano scripto, à quocunque habente potestatem ferendæ legis condito; specialiter autem, & strictè pro illo jure scripto, quod vel summus Pontifex, vel Imperator, vel alius supremus Princeps condidit. c. *Constitutio. dist. 2.* Ex constitutionibus, aliæ sunt civiles, quæ à potestate sæculari; aliæ *Canonice*, seu Ecclesiasticæ, quæ à potestate Ecclesiastica conduntur, & promulgantur. Cum autem juris humani scripti, tam Civilis, quàm Ecclesiastici, sint variæ species, ut constabit ex seqq. variæ quoque sunt species

constitutionum. Cæterum hîc *constitutio-nem* sumimus latè, pro omni humano jure, vel lege scripta, generaliter acturi de legibus humani juris, tractatu in duas partes divisò.

PARS I.

De Legibus in communi.

Cum materia de legibus sit fundamentum potissimarum quæstionum, non tantum in jure; sed etiam morali Theologia (nam ab earum justitia, publicatione, acceptatione, interpretatione, exten-